



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Speculum Approbandorum Bipartitum**

**Unczovsky, Marianus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1693**

Quæstio XXIV. Discutiuntur aliqui Casus, in quibus Confessarius excusatur ab audienda integrè Confessione Pœnitentis, ubi etiam aliqua de manifestatione Complicis propter Confessionis integritate[m].

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37308**

mutaret speciem, & ratio est: quia hoc  
exponit charitas erga se ipsum ne se  
exponat periculo peccandi. Adverto  
etiam non deesse AA. asserentes Pœ-  
nitentem excusari ab integritate Con-  
fessionis in dubio positivo, quando  
videlicet dubitat de sequela gravis da-  
mni ex integritate materiali Confes-  
sionis, quamvis plures resolvant ne-  
gativè vid: Bonac. Disp. 5. de Sacrament.  
Pœnit. Q. 5. Sect. 2. Vasqu. 3. Par. Q. 19.  
Art. 2. dub. 3. Valent. 3. Par. Disp. 7. Q.  
12. Pun. 1.

### QUÆSTIO XXIV.

*Discutiuntur aliqui Casus in quibus Con-  
fessarius excusatur ab audienda integrè  
Confessione Penitentis, ubi etiam aliqua  
de manifestatione Complicis pro-  
pter Confessionis integ-  
ritatem.*

*Vicar.* **C**oncipiamus adesse tantam  
turbam Confiteri volentium  
in



in aliquo Celebrati Feste, ut Confessarius omnibus satisfacere nequeat per auditionem integrè. Confessionis uniuscujusque, poterit nè tunc cum manifestatione graviorum mortalium & reliquorum dilatione in aliud tempus expedire singulos?

S. Quidquid dicant nonnulli Theologi, amplector declarationem Innocentij XI. An. 1679. die 2. Martij factam, & dico, non licere Sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm Confessores ratione magni concursûs Pœnitentium, qualis potest contingere in die magnæ alicujus Festivitatæ aut Indulgentiæ.

U. Sed quid agendum Confessario in tali casu?

S. Judico tunc omisissis quæstionibus de venialibus peccatis, exhortationibus ac instructionibus, sicut & orationibus absolutioni & postponi solitis, alijsq; non simpliciter necessarijs ad quamcunque relationem peccatorum

fa.



factam à Pœnitente finaliter dicente  
Conscientiam suam nullò amplius de-  
lictò mortali gravari salutarem pœni-  
tentiam imponendam esse dandamq;  
absolutionem.

U. Ad alium casum transeo & sit iste:  
advertit Sacerdos grave sibi imminere  
damnum si Confessionem Pœnitentis  
integram audierit, poteritnè tunc au-  
dito uno alterovè peccatò Confiten-  
tem absolvere?

S. Poterit: eadem enim est ratio pro  
Confessario quæ pro Pœnitente, cum  
uterq; habeat jus ad sui conservatio-  
nem & advertendum à se omne dam-  
num, quare cessat in tali casu obli-  
gatio ad integritatem materialè Con-  
fessionis, siquidè læderet jus naturale.

U. Ergo tempore pestis ob vitandum  
periculum infectionis poterit Sacer-  
dos audito uno vel altero peccatò Pœ-  
nitentem absolvere.

S. Omninò, cum præceptum de integ-  
ritate Confessionis obliget tantum



morali modo, tunc autem adimpletio præcepti videtur moraliter impossibilis: & si Pœnitens non tenetur cum periculo propriæ vitæ integram facere Confessionem, imò etiam cum minori periculo, excusatur né integré confiteatur, cur Sacerdos deberet obligari ad integram Confessionem excipiendam cum tali periculo? siquidem non est major ratio vel obligatio pro Confessario singula peccata audiendi, quàm pro Pœnitente omnia confitendi, ergo quâ ratione cessat obligatio respectu unius, cessabit etiam respectu alterius juxta illud: *in correlativis dispositum de uno, censetur etiam dispositum de altero.*

V. Major videtur esse ratio seu obligatio pro Confessario, maximè Parocho. S. Lego in *Layman. lib. 5. Theol. Moral. Tract. 6. c. 13.* quòd cum Parochi non sint obligati uni particulari, sed omnibus suarum Parochiarum quibus ex officio servire debent Sacramenta admi-



nistrando, non solum possint, sed teneantur aliquando usurpare talem modum Confessiones excipiendi, hoc autem aliquando rectè trahitur ad præsentem casum.

*U. Cur dicis teneantur?*

*S.* Ideò, quia si in casu unius aut alterius in particulari peste infecti integram Confessionem excipere conarentur, operarentur contra bonum commune, sic enim se exponeret Parochus periculo mortis cum præjudicio boni communis, siquidem inde facilè evenire posset, quòd ceteri privarentur suo pro Sacramentis Ministro: quare dum Confessarius, cui incumbit Sacramentorum administratio, servit uni, tenetur vitare illa pericula, quæ ipsum subtraherent ab aliorum servitio.

*U.* Nonnè Parochus obligatus est exponere vitam suam pro salute ovium suarum?

*S.* Utiq; quando urget necessitas, in casu autem non apparet, nam æquè

O 3 sub-



subvenit sive integram sive non integram audiat Confessionem, semper enim reconciliat Deo Pœnitentem: imò videtur habens curam animarum prodigere vitam suam cum detrimento aliorum, si Sacramentum, quod potest administrare absq; vitæ periculo, vellet ministrare cum periculo.

V. Maneat verum uti dicis, nunc quaero: an Pœnitens propter integritatem Confessionis debeat explicare etiam Personam Complicis?

S. (Quidquid dicat *Navar. & alij D.D.*) Sentio cum *Angelico & Subtili* eorumque sequacibus, & dico: quòd quando Pœnitens aliter non potest declarare aliquod scelus vel illius circumstantiam nisi cum manifestatione Personæ Complicis, Confessario notæ nendum possit, sed debeat manifestare Còplicem: id manifestè innuit *S. Bernardus in opuscu. de formula honeste vite versus finem, ubi hoc documentum tradit: De nullo prorsus sinistrè loquari*  
 quan-



*quantumcumq; sit verum vel manifestum, nisi in Confessione, & hoc, ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.*

*V. Cur dixisti quando Penitens aliter non potest &c.*

*S. Ideò quia si Pœnitens sinè speciali suo incommodo posset confiteri alicui Sacerdoti, qui non nosceret Personam Complicis, teneretur id facere: item si commodè posset differre Confessionem ad aliquod dies, donec habeat occasionem confitendi Confessario non noscenti Complicem, seu ignoto, tenebitur eam differre.*

*V. Videtur mihi sententia Navar. verior ac tutior, siquidem hæc excludit, posterior verò includit infamiam proximi.*

*S. Sit tuta, tutior ac verior est D. Angelici, Seraphici, Subtilis & aliorum: quo pacto enim servanda sit fama proximi tradidit doctrinam notabilem D. Thom. in 4. D. 16. Q. 3. Art. 2. ubi habes sequentia: dicendum quod homo in Con-*



essione debeat famam alterius custodire quantum potest, sed suam Conscientiam magis purgare debet, & ideo si circumstantia qua ducit in cognitionem persone sit de necessitate Confessionis, tunc debet eam confiteri.

*V.* Debet confiteri de mente *D. Angelici*, sed quando manifestatio charitati proximi non adversatur, prout adversaretur in presenti, imò cum sit manifestatio delicti alieni non esset absq; detractione.

*S.* Non percipio quomodo hæc manifestatio charitati proximi adversetur, quandoquidem eidem charitati minime repugnat, si extra Confessionem peccatum alterius occultum ex aliqua justa & rationabili causa manifestetur, ut si quispiam v. g. sciens Uxorem adulterium commisisse hoc communicaret taciturno amico, animò consulendi, quid agendum cum ipsa? & quia hæc indirecta manifestatio delicti alieni non procedit ex intentione dif-

fa-



famandi proximum, non habet locum  
saltem formalis detractio.

U. Proferuntur verba, per quæ alterius  
fama diminuitur, igitur locum, habet  
detractio.

S. Proferuntur utiq; sed propter bo-  
num observatis debitis circumstantijs,  
quo fine posito exulat saltem formalis  
detractio; frustra autem offertur dimi-  
nutio famæ ob illam simplicem notiti-  
am, siquidem daretur Confessario ob-  
ligato ad sigillum, vel si quæ est, suffi-  
cienter compensatur utilitate & in-  
tegritate Confessionis.

U. Apprehendo in responsione tua *ly*  
*propter bonum, & ly compensatur utili-*  
*tate*, quæ mihi apparent sine funda-  
mento dicta.

S. Nihil sine fundamento dixi: & qui-  
dem si respiciatur Pœnitens, certum  
est, quod ex tali manifestatione seu  
materiali Cōfessionis integritate, pos-  
sit illi obvenire bonum & magna utili-  
tas, ut augmentum gratiæ, propterea

Os quia



quia cresceret pudor & dolor, item  
Conscientiæ tranquillitas, item cessa-  
ret obligatio bis idem delictum confi-  
tendi, semel sub aliqua ratione Gene-  
rica, & alterâ vice sub specifica, nam  
qui v. g. peccâisset carnaliter cum Ma-  
tre, deberet Confessario, qui Matrem  
novit confiteri saltém concubitus il-  
licitum, habitâ autem copiâ alterius  
Confessarij, cui Mater est ignota debe-  
ret confiteri in specie incestum cum  
Matre; Si verò consideretur Persona  
Complicis potest dici, etiam hanc ob-  
ligationem manifestandi cognitam,  
multum cooperaturam ad emendatio-  
nem ipsius; ad tranquillitatem Con-  
scientiæ &c; cum hoc tamen observo  
quòd si prudenter timeret Pœnitens  
ex repetita manifestatione, inferen-  
dum aliquod damnum Complici, hoc  
ipso cesset obligatio manifestandi.  
V. Cessat obligatio manifestandi, quia  
rationabilis intervenit causa ad non  
manifestandum, ergo pariter quia in-  
tere



tercedit rationabilis & gravis causa non revelandi, fundata in jure naturali de non infamando proximo, non erit revelanda Persona Complicis.

**S.** Non mihi videtur esse causa rationabilis, quia infamatio ( si hoc termino utendum sit ) sæpè insinuata, est solum quædam indirecta & purè materialis, non verò, vera & formalis jure naturali vetita: itaq; pro rationabili causa apprehendenda est integritas materialis confessionis, quæ cum sit rationabilis & legitima causa, ut Pœnitens se ipsum infamet, à fortiori erit rationabilis, ut infamet quoque Complicem supositâ necessitate; & quia præceptum de integritate materiali confessionis per se obligat, idcirco Pœnitens tenetur illud observare, & consequenter non solum potest, verum etiam tenetur manifestare Personam Complicis, si aliter non possit integrè confiteri, nec aliqua legitima excusatio interveniat.

O 6

V. Ob-



V. Obligatur nē etiam ad manifestandam Personam illam, quæ non fuit propriè Complex, propterea, quia peccato non consensit, sed violentiam passa est? v. g. ( *si Frater Sororem reluctan- tem coëgisset ad incestum, quæro an teneatur explicare circumstantiam Sororis si eam Confessarius novit?* )

S. Quidam ( inter quos *Suaris* ) negant esse obligationem manifestandi Personam, quæ non fuit propriè Complex, adeoq; juxta hos in proposito casu, Frater confitendo crimen suum non obligabitur ad manifestandam Personam Sororis, ideò, quia non habet legitimam causam ipsam manifestandi, & detegendi defectum Virginitatis quem invita passa est, ex quo enim Soror nullo modo voluntate suâ se immiscuit peccato Fratris, nullo modo etiam se subjecit iudicio, adeoque Judex nullum habet jus directè vel indirectè cognoscendi Personam Sororis & defectum Physicum Virginitatis,



tis, quâ invitè spoliata est. Alij verò  
(inter quos *Lugo*) dicunt, Pœnitentem  
teneri etiam ad manifestationem Per-  
sonæ, quæ non fuit *proprie* Complex si  
aliter peccatum suum non possit in-  
tegrè confiteri: Ratio eorum est, quia  
obligatio manifestandi Complicem o-  
ratur præcisè ex eo, quod illius mani-  
festatio sit omninò necessaria ad ex-  
plicandum integrè peccatum, quare  
si peccatum aliter integrè explicare  
non poterit, nisi cum manifestatione  
Personæ improprie Complicis & reve-  
latione defectûs ipsius inculpabilis, te-  
nebitur per hos DD. Pœnitens eam  
manifestare: sicuti quandoque Pœni-  
tens tenetur suos defectus proprios &  
inculpabiles manifestare, quando ali-  
ter non potest explicari peccati speci-  
es aut annexa Censura, ut patet de eo  
qui absq; prævia dispensatione in irre-  
gularitate consequente inculpabilem  
defectum legitimæ Nativitatis suæ sa-  
cros Ordines vel Beneficium Ecclesia-  
sticum suscepit.

V. Qui



V. Cui ex his duab<sup>9</sup> doctrinis adhaeres?  
 S. Posteriori quæ videtur probabilior.

### QUÆSTIO XXV.

An liceat dimidiare Confessionem pro Casibus reservatis? ubi præmittuntur aliqua difficultates circa Casus reservatos in genere.

Vicar. **Q**uid Casus quantum ad forum internum?

S. Idem quod lapsus animæ in statum peccati: sive idem ac peccatum, quod facit hominem à rectitudine virtutis cadere, hinc Theologicè idem est Casus reservat<sup>9</sup> ac peccatum reservatum.

Sylv. ver, Casus n. 1.

V. Quid datur intelligi per *ly* reservatum?

S. Hoc, quod hujusmodi delicti mortalis absolutionem Superior sibi ipsi reservet ad corrigendum illud suâ auctoritate, adeoq; si absolutio peccati adimatur inferiori Sacerdoti, hoc ipso peccatum seu Casus reservatus est. Al-

lo-